



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Archidiacono Et W. & R. Primiceriis Civitatensibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

necnon per decem & septem annos pacificè commoratus ibidem , ac per te , frater Episcope , dieti Episcopi successorem Archipresbyter in sua Ecclesia institutus , Archipresbytero sancti Laurentij preces specialiter interponente pro ipso , ea quæ postmodum & primitus per parsimoniam , artificium , & studium suum , & puerorum doctrinam naçtus fuerat , ad eandem Ecclesiam devolvi debebant sine aliqua questione . Pars verò altera studuit replicare se à te , frater Episcope , postulasse prefatum Archipresbyterum , tunc simplicem Canonicum , sibi restitui ut suum oblatum , & te precibus quorundam effectum id efficeret noluisse ; sicutque suam negligientiam , si qua fuerat , excusabat . Nos igitur iis & aliis à partibus propositis coram auditore præfato intellectis , cùm de oblatione ac pacifica translatione Archipresbyteri sapienti nobis facta fuerit plena fides , ea que idem Archipresbyter habuerat antequam ad secundam Ecclesiam à prima translatus fuisset primæ , cetera omnia curavimus adjudicare secundæ ; ita tamen quod si probatum fuerit de bonis prioribus vel eorum preventibus ab eodem aliqua postea conquisita fuisse , illa ipsi Ecclesie sancti Laurentij applicentur . Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus id quod à nobis est sententialiter diffinitum faciat per censuram ecclesiasticam appellatiōne remota firmiter observari . Quod si non omnes &c. tu , frater Episcope , cum eorum altero &c. Datum Viterbij xiiii . Kal. Iulij , pontificatus nostri anno duodecimo .

*ARCHIDIACONO ET W. & R.  
Principiis Civitatensibus.*

C Vm olim inter Clericos sancti Severini de Castro sancti Severi ex parte una & Clericos Ecclesiarum sancti Nicolai , sanctæ Mariæ , ac sancti Iohannis castri ejusdem Civitatensis diocesis ex altera super processionibus in diebus rogationum tam in eundo quam redeundo ad sancti Severini Ecclesiam exhibendis , celebrando sextam ibidem , & sermonem in dominica palmarum ad populum faciendo , necnon etiam pullationibus campanarum questio mota esset , Abbas Terræ majoris ordinarius judec eorum de meritis ipsius cause sufficienter instructus , Clericos prædictarum Ecclesiarum super præmissis omnibus Ecclesias sancti Severini per diffinitam sententiam condemnavit ; quam profecto sententiam cùm iidem Clerici rece-

Tom. II.

pissent & aliquanto tempore sine contradictione servassent , nitentibus demum eis venire temere contra ipsam , Clerici sancti Severini ad bona memoriam Dragoniensem Episcopum & magistrum P. Canonicum Trojanum apostolicas litteras impetrarunt , quarum auctoritate Clerici præfatarum Ecclesiarum ab Episcopo ipso citati , mandato apostolico intellecto , promiserunt se supradicta omnia firmiter servaturos , eaque in violabilitate observare dictus Episcopus eis sub excommunicationis pena præcepit , & sic postmodum quod per antedictum Abbatem & eundem Episcopum provide factum fuit , per sedem extitit apostolicam confirmatum . Nuper autem cùm inter Nicolaum Ecclesiam sancti Severini ex parte una & Thomam sancti Nicolai ac Mauritium sanctæ Mariæ ex altera procuratores super iis quæstio verteatur , dilecto filio Tullio Subdiacono & Capellano nostro eos commisimus audientes ; in cuius præsentia procuratores Clericorum dictarum Ecclesiarum , videlicet sancti Nicolai & sanctæ Mariæ , recognoverunt omnia supradicta , eo quod de sexta canenda præmissum est duntaxat excepto . Ne igitur lites quæ justo judicio sunt decisæ calumniantium vitio reviviscant , discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus dictos Clericos sancti Nicolai & sanctæ Mariæ ad hæc omnia in violabilitate observandum , secundum quod à predictis Abbatे necnon etiam & Episcopo est statutum , monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellatis . Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Viterbij xiiii . Kal. Iulij , pontificatus nostri anno duodecimo .

*CONSULIBVS ET CIVIBVS  
Iannensibus.*

L Icet ubincunque locorum scissura discordiae fraternitatem divideret Christianam , nos , qui secundum Apostolum non valemus quoconque scandalizante non uri , ferventi compassionis furtagine frigeremur , de discordia tamen inter vos & cives Pisanos exorta tanto ardenter caritatis igne perurimur quanto graviora per eam & provenisse jam & posse adhuc etiam provenire pericula intuemur . Per hanc enim non solidum grandia damna rerum & gravia discrimina personarum cum immobibus animarum dispendiis utrique supereminens civitati , verum etiam Ecclesia penè tota colliditur , & necessarium terræ

Epiſ. 55.  
Vt trægas  
incant cum  
Pisanis.

T t